



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Caput IV. Imitatio Christi ab Herode spreti atque illusi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

nasce debeant, non autem ut ullâ violentiâ convexetur animus, cum periculo obtundendi capitis, aut valetudini incommodandi.

CAPVT IV.

Imitatio Christi ab Herode spreti atque illusi.

DE hoc ita paucis Evangelista: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusi indutum veste albâ: ubi binæ istæ voculæ magnum profectò pondus habent: sprevit, illusi.* Nam publico tanquam præiudicio, spernitur Deus Majestatis, Sapientia Dei illuditur: quæ prætereunda visa non sunt absque aliquâ propriâ consideratione.

Luca 23.

§. I.

Conditionum rei propositæ expensio atq; æstimatio.

Perpende hîc primò: Mansuetissimum Redemptorem nostrum in passione sua, omni in loco in quo versatus est, atque ab omni hominum genere inter quos versatus est, spretum, illusum, derisumq; fuisse; etiam his locis & ab his personis, in quibus, aut à quibus nullum alioqui specialem cruciatum acceperit: eum tamen è contrâ, uti tangetur in sequentibus, omnibus ipsius cruciatibus ignominia, implexa fuerit. Ut non temerè dici possit, Christi Domini passionem ac crucem, generaliùs ac potiùs contumeliâ atq; dolore constituisse.

Itaque & in horto Gethsemani sædo osculo à discipulo proditur, quasi latro vincitur; & in Cayphæ domo, qui tenebant eum (inquit S. Lucas) *illudebant ei cadentes; & Herodes (in quo nunc versamur) illusi indutum veste albâ; atque in Præsidis prætorio, genu flexo illudebant ei; in cruce deni-*

Luca 22.

Matt: 23.

denique (ut ipsis Evangelistarum verbis rem explicare pergam) *prætereuntes blasphemabant eum; & deridebant eum; Principes; & summi Sacerdotes; illudebant autem ei & milites; id ipsum autem & latrones improperabant ei.* En ut omni loco & ab omni conditione mortalium, à discipulis, à ministris, à militibus, à latronibus, à prætereuntibus, à Scribis, à Sacerdotibus, à Principibus, à Regibus, DEI Filium nostrâ causâ spernitur, illuditur. Ut proinde rectè Simon de Cassia dicat, ad profundum contemplationis nostræ pertinere, quòd divina Sapientia voluerit reputari stultitia, & potentia, infirmitas; ut ipse Christus fieret opprobrium hominum, & abjectio populorum, & derisio Regum.

Perpende secundò: Quàm acerbum fuerit Christo Domino illud toties repetitum exaggeratimq; (atque id præfertim, quod in Herodis regia pertulit) illusionis opprobrium. Nam cum inter omnia quæ adversa contingunt, viro cordato ac generoso, etiam præ quovis cruciatu corporis, acer sit ignominie sensus (quò illud spectat verbum prisca Poëtæ: *Patior facile injuriam, si est vacua à contumelia*) tum præfertim illudi grave est, hoc est, per contemptum aliorum ludum fieri. Ideòq; passionem suam discipulis pronuntians Salvator, speciatim ac propriè illusionis meminit: *Tradent eum gentibus ad illudendum;* ut Matthæus; *Illudent ei & conspuent eum,* ut Marcus; *Illudetur & flagellabitur,* ut Lucas expressè annotârunt.

Atque id potissimum verum est, cum res agitur hujusmodi, ut quis pro fatuo sese despici intelligat, eòq; nomine sese aliorum ludum & jocum esse sentiat: quandoquidem & nuda fatui appellatio, de Salvatoris sententia, supremum quoddam contumelie genus esse videtur. Et sanè cum juxta Sapientium definitionem, ipsâ ratione differat homo à bestiis: qui ut rationis ac mentis inops cæteris habetur despiciatui, is de hominis gradu quodammodo deijci, & ad

bruto

brutorum classem ac tribum amandari videtur. Quamobrem invenientur fortassis, qui cetera etiam animi vitia, morumq; probra, objectari sibi non ita agre sustineant, cum subinde sint, qui de his etiam per vecordiam gloriantur: attamen ut fatuum alijs esse deridiculo, ut prudentia sensuq; carentem, in hominum ore atque existimatione versari, eoq; vel vulgi fabulam, vel ceterorum ludum fieri, id quidem nemo est aliquantò cordatior, qui (humanitùs loquendo) æquo animo sibi ferendum aut tolerandum existimet. Quò magis oporteat grave fuisse intolerandumque Dei Filio, pro fatuo despici atque illudi; qui & secundum Dei formam, ex suæ hypostasis proprietate, ipsissima esset ac primigenia Sapiaentia; & spectatus ut homo, plenus erat gratiæ & veritatis, ideòq; tanquam Magister orbis à Patre mundo propositus, dum de nube edixit: *Ipsam audite: quia* (interprete S. Leone) *ipse est veritas & vita, ipse virtus mea atque sapientia.*

Matth. 17. Serm. de transfigur.

Perpende tertio: ad hanc ipsam tot opprobriorum, quæ in passione tulit Salvator, tum gravitatè, tum acerbitatè declarandã; eum tanto antè ore Prophetico de semetipso dolenter dicere: *Ego enim sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Quæ quidem postrema Tertullianus, ut supra indicare memini, significantiùs ex Græco sic vertit: *ignominia hominis, & nullificamen (seu nullificatio) populi:* quasi videlicet his significet Redemptor noster: sese ab hominibus contemptum, calcatum, protritumq; fuisse, tanquam si homo esset nullius pretij, aut qui nullo numero inter homines haberetur. Quod item (licet minus apertè) sonat ipsum abjectionis vocabulum in lectione vulgata: quia nimirum non abijcimus, nisi quæ nihili facimus.

Psal. 21.

l. 3. contra Marcio. c. 7.

Quò etiam spectat, quòd ab Isaia *novissimus virorum* appellatus est; sive, ut legit idem Tertullianus: *deficiens citra*

cap: 53. l. 3. cit. c. 7. & 17.

tra filios hominum; aut citra omnes homines. Ubi etiam eruditi observant, posse hebræa rectè verti; *cessatio* seu *destitutio virorum*: quasi videlicet in passione sua Christus eoulsq; depressus fuerit, ut jam in extremo positus esset conditioni humanæ, nec esset quò ultrà descenderet, nisi cessaret esse homo: neque verò jam quidquam hominis, præter ignominia verecundiam, dolorisq; sensum retinere videretur. *Ignominia hominis, & nullificamen populi.* Eademq; vis est vocis græcæ in verbis illis Marci c. 9. *Scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*; ubi pro *contemnatur*, Tertulliani exemplo, rectè verteris, *nullificatur*: hoc est, *nihilipendatur, nihilisat*; aut certè quod sonat, etiam ipsa Græca vox, *in nihilum redigatur.*

Itaque in passione sua DEI Filius unigenitus, non tantùm nihili, sed etiam nihilum quodammodo factus est. In quo jam proinde, & alteram, eamq; extremam, Domini sui exinanitionem, seu (ut vulgò loquimur) annihilationem possis agnoscere. Qui cum primùm sese exinanisset usque ad formam servi & similitudinem hominis, susceptè nostræ humilitate; demum exinanivit semet ipsum quodammodo usque ad non hominem, dum & vermis formam aut similitudinem suscepit, & pro fatuo habitus (quæ propria est hominis loci consideratio) quasi infra hominem census fuit.

§. 2.

Earundem rerum ad usus nostros traditio.

TRaducamus nunc in rem nostram, quæ modò à nobis paulò pluribus expensâ atque æstimata sunt, atque et ipso pro instituto quædam limatioris divinioreq; vitæ præcepta ac documenta colligamus.

Primum: ut Doctoris Ducisq; nostri cœlestis, cum nuditi magisterio, tum documentis atque exemplis animatè ad assurgamus denique, ut neque putemus Christiano homo

ni tanti faciendum mundi honorem ac gloriam, neque ea-
 quaë his adversa sunt, adeo metuenda existimemus. Imò
 jam non agrè feramus hominum opprobria, insectationes,
 illusiones: quando Dominus noster, & eos beatos pronun-
 ciavit, qui pro sui amore maledicta & probra sustineant, &
 eam sibi vitam elegit, quaë tota esset ex opprobrijs illusioni-
 busq; contexta. Alius est, scio, mundi sensus, alia le-
 ges & instituta hujus sæculi: at etiam scimus, ita docente
 Scripturâ divinâ, quod apertâ jam scholâ Crucifixi, *stultam*
fecit (hoc est, ostendit) *DEUS sapientiam hujus mundi; & 1. Cor. 1. &*
quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEI con-
stituitur. Christiani certè à Christo, non à mundo dici-
 mur, neque mundi sectam, sed crucis disciplinam profite-
 mur: neque verò mundus pro nobis redimendis crucifixus
 est, neque à mundo salutem aut vitam æternam expectamus.

Veruntamen usque huc, Domine JESU, quod de te se-
 nex prænuntiavit Simeon, positus es in signum cui contra-
 dicitur: usque modò in cruce extendis manus tuas ad po-
 pulum non credentem & contradicentem. Ut enim infi-
 deles omittam, qui te etiamnum ut patibulum & suspen-
 diosum execrantur; nunquid & nos qui Christiani, hoc est,
 sequaces tui dici volumus, multifariam tibi contradicimus?
 cum tu in cruce tua, hoc est, in humilitate, abjectione, op-
 probrijs, summam divinæ ejusdam sapientiæ constitueris
 (propter quod etiam observant nonnulli crucem Chaldaicè
Mascal, id est, Sapientiam appellari) nos alia omnia sapi-
 entes, factis ipsis tibi contradicimus, & (quod stens dicebat *Philip: 3.*
 Apostolus) ut inimici crucis tuæ, ambulamus; & dum sapi-
 enti crucis tuæ stultitiæ stultam mundi sapientiam anteferi-
 mus, verè ac re ipsâ stulti sumus.

Quid enim, obsecro, stultius esse potest, quàm mundi
 legibus moribusq; vivendo, temporalia opprobria adeo
 metuere, & opprobria sempiterna non formidare? Qua-

Ep. 49. q. 6. propter rectè S. Augustinus, Christum ut opprobrium hominū, & ut vermem in cruce considerans: *Nos hunc agnoscimus* (inquit) *& pro salute divina, humana opprobria sufferimus.* Alterum: Quod præsertim homines respicit, virtutis juxta ac litterarū studiosos: ut in eo speculo aspicientes nostri gratiā, non tantū exinanitam majestatem, sed etiam quodammodo infatuatam Dei Sapientiam, non tantopere solliciti simus, de comparanda tot laboribus, aut retinenda opinione sapientiæ: multò minus, ut ipsa laborum studiorūq; contentione, uti vilia gloriolæ mancipia, popularum auram avidè sordidèq; captemus.

Quam in rem mihi sublimis visa est B. Angelæ Fulgentiæ Philosophiæ: quæ nimirum Christi summam paupertatem ac nuditatem declarare instituens, eum ait non solum fuisse summè inopem rerum temporalium, verum, etiam amicorum favore destitutum, & (quod in hoc genere extremum est) etiam se ipsum semetipso quasi expoliassè, eò quòd, ut ipsa ait, privarit se quodammodo suā potentiam, suā sapientiā, suā famā sanctitatis & innocentiam. Quod autem huc propriè spectat, de hac sapientiæ paupertate ita loquitur:

Vit. c. 59. *Voluit enim Dominus noster JESUS Christus, apparere ut simplex homo, & ignominis, & insipiens & fatuus, & non ut philosophus aut Doctor verbosus, &c. viam veritatis nobis ostendens, quòd non de scientia seu sapientia gloriari debemus, neque ipsā inflati, velimus coram hominibus nomen Magisteris acquirere, seu vanam gloriam manducare.* Ita illa simplex Theodidacta, ex cujus congressu & colloquio (ut principio monuimus) sese aliòsque multum in spiritu profecisse, mutatosque in viros alteros, testatur Albertinus de Casali, ut eam idcirco non dubitet matrem pulchræ dilectionis appellare.

Hinc etiam Seraphicus S. Franciscus, sanctæ paupertatis studium ac perfectionem suis commendans: *Ad hujusmodi* (ajebat) *culmen qui cupit attingere, non solum mundana pro-*

dentia, verum etiam litterarum peritia renuntiare quodammo-
do debet, ut tali expropriatus possessione, introeat in potentias
Domini, & nudum se offerat brachijs Crucifixi.

Et S. Ignatius filios suos hac ipsa arte erudiens, ait: eos, qui Christum Dominum nostrum serio sequantur, amare debere omnia mundo contraria; adeo ut si sine offensione ulla divina Majestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia & injurias pati, & stulti haberi & existimari: eo quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum JESUM Christum, ejusq; vestibus & insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter majorem nostrum profectum spirituales induit, nobisq; exemplum dedit: & qua sequuntur. Et in Exercitiorum libello, uti superius indicatum est, velut supremum humilitatis modum proponit; ut etiam existente pari DEI gloria, ad majorem tamen imitationem Christi eligamus potius, cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientia titulum amplecti. Qui demum, quod alii praeciperet, sibi ipse assumens: Ludibrio omnibus esse cupiebat, & si animo indulgere suo voluisset, nudus, despiciatus, & oppletus sordibus, ut insanus haberetur, per vicos ambulasset; ut scribit P. Ribadeneira in ejus vita. Exam. c. 4. s. 44. L. 5. c. 3.

§. 3.

Varia laudabilis insania species, ex Christi amore atq; imitatione, procedentes.

Postremum: Cum plures esse videantur, eorum, qui (Apostoli phrasi) propter Christum stulti facti sunt, aut (ut loquitur S. Gregorius) laudabilis fatuitatis, rationes; eas licebit disciplinae gratia ad tres quasi species reducere.

Prima est: eorum, qui a mundi rebus atq; affectionibus abstracti, soli; Deo inhaerentes, ea qua mundus amat & amplectitur, toto animo refugiunt; qua autem ille a-

versatur, paupertatem, dolorem, contemptum, ea ex Christi instituto atque exemplo, cupidè sibi consecranda exhibent, *sapienti quòdam insaniam* (ut de priscis monachis quidam veterum locuti sunt) in se ipsos crudeles, & sibi metipsis quodammodo hostes effecti.

Hi enim fatuis mundi amatoribus, stulti videntur atque insani: unde est illa reproborum vox in libro Sapientia:

Sap. 5.

Job. 12.

Lib. 10. Mor.
cap. 16.

Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam. Et apud Sanctum Job: *Deridetur iusti simplicitas*; quia nempe (ut ibi S. Gregorius) *quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientia fatuum sonat.* Quid namque stultius videtur mundo (subdit) *quam pro maledicentibus orare, paupertatem querere, possessa relinquere, impietati non resistere, percutienti alteram maxillam praeberere?* Quibus similia alio quodam loco repetit, agens de consensu à Zachæo Sycomoro, hoc est, sicu fatuà: *Quasi enim* (inquit) *Sycomorum nos consedere Dominus precipit, cum dicit: Qui auferit quae tua sunt, non repetas, &c.*

L. 27. Mat.
cap. 27.

Secunda est eorum, qui insolito fervore spiritus, & insano quodam in Christum aut proximum amore correpti, ad ea subinde optanda atque audenda profiliunt, quae communem etiam Sanctorum sensum affectumve transcendere videantur.

Quomodo nos in superioribus, eorum qui hac ratione in Dominum insaniant (uti loquebamur cum S. Chrysostomo) exempla nonnulla protulimus. Aliàq; profert S. Bernardus libro de natura & dignitate Divini Amoris, ubi inter cetera: *Audi sanctam insaniam: sive mente* (inquit) *excedimus DEO. Vis ad haec audire insaniam? Dele me de libro tuo quem scripsisti. Vis aliam? Optabam ego ipse anathema esse, &c. Nonne quadam mentis bene affecta sana quadam videtur insaniam, fixum in affectu pro Christo, anathema velle esse à Christo? Haec Pauli insaniam, cum diceret ad eum Iesus:*

Insa-

Insania Paule. Hac insania insani erant Martyres inter tormenta ridentes. Hac & plura Bernardus.

Eodemq; spectant illæ in speciem parum sanæ actiones, quas Sancti sive in mentis & amoris excessu, sive in raptu prophetico, subinde exercere conspiciuntur. Unde de se ipso S. Bonaventura: *Qui me vident (inquit) derident; P. 1. Stim. & quod tuo amore sem ebrius, non cognoscunt. Dicunt enim, c. 2. quid iste insanus vociferatur in plateis? Ignorat, quod amor tuus intensus impedit usum sensus, & qui te ferventer querit, se ipsum & omnia derelinquit.* Et S. Ambrosius ad illa verba psalmi 39. *& insanas falsas: Sunt ergo (ait) & vera insania, & forsitan Prophetarum, qui in excessu mentis positi prophetabant, repleti DEI spiritu, ut quibusdam insanire viderentur.*

Extat denique apud Lucam Wadingum inter S. Francisci opuscula, canticum quoddam metris conscriptum Italicis, ubi is Sanctus Christum alloquens, ejusq; amore sese insanire profitens, ait eò se esse excusabilem, quod idem amor qui se redigit ad insaniam, etiam ipsi Christo videatur sapientiam abstulisse. Quanquam id alij B. Jacopono attribuant. *Tertia est eorum, qui sese omnino abijciendi, Christumq; propius imitandi desiderio, re ipsa se gessere, pro fatuis, ea studiosè dicentes ac facientes, quæ non nisi mentis emotæ homines solent, ut hac ratione insani passim existimarentur. Quo in numero sunt Simeon Salus, & Marcus, & modò memoratus Jacoponus, aliq; quorum acta Raderus noster Viridarij sui parte 3. recenset.*

Verùm id, ut multis obnoxium difficultatibus, neque temerè cuiquam suadendum, neque absque certo & speciali Spiritus sancti instinctu suscipiendum.

Illud potiùs laborandum nobis in proposito; ut, concensâ crucis scymoro, & omni abjectâ honoris nostri curâ supervacuâ, ita animo simus comparati, ut si ita ferret DEI gloria, etiam stulti existimari cuperemus; & si qua incidat incur-

incurratve in nos ejusmodi contumelia, eam non modò patienter, sed libenter etiam sustineamus: potissimum autem ne hominibus placendi studio, dum non tam sapientes esse quàm videri & audire volumus, similes jumentis insipientibus, inanis gloriæ paleas (B. Angelæ verbo) manducemus.

CAPVT V.

Imitatio Christi ad columnam alligati & flagellati.

§. I.

Flagellationis Christi atrocitas & indignitas.

UT exoptatum è præsentis exercitio fructum certius consequaris: Pone tibi primùm ob mentis oculos triste spectaculum; DEI Filium, agnum innocentem, hominem prudentissimum, vultu benigno, amabilissimis moribus, speciosum formâ præ filiis hominum, per summum opprobrium, indignitatem, immanitatem, in conspectu perulantis exercitus vestibus nudatum, & manibus constrictis columnæ alligatum, ac denique à validis tormentibus hominibusque perditissimis, inhumanè conscissum flagris, ac prope modum confectum. Vide, ut ad primos verberum inculsus, vibicibus rubent Regis gloriæ, innocentes artus; mox ut livorem atrorèmq; contrahunt, demum ut dissecti faucibus; cruentantur. Aspice, ut tandem repetitis ac congeminationis ictibus, virgineâ & delicatâ carne ejus omni ex parte dilaniatâ atque concisâ, totus operitur sanguinis sui purpurâ, & invicem collectis coeuntibusq; per membra guttis, rivi decurrunt sacri cruoris. Jámq; totum corpus unum vulnus est; adhuc tamen fulcantur artus laceri, atque jam non membra, sed vulnera vexantur. Ecce ut denique furor